



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 6. Exempla punitorum ob auaritiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



§. VI.

*Exempla punitorum ob auaritiam.*

Et quoniam diuites, cum se satis habere existiment, non admodum frequenter aut feruidè orant: *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie*; illud saltem prouidit Deus, vt pauperes, qui ab illis stipem accipiunt, pro illis orent. Quia verò saepe contrarium accidit, vt non pauperes à diuitibus, sed diuites à pauperibus accipiant, siue per vim, siue per fraudem; mutatur quoque genus orandi, & pro benedictione maledictio à Deo petitur, & impetratur. Audit enim clamores pauperum Deus; & voces lamentantium nubes ac cælum penetrant. Hac de caussa euersum est olim à barbaris Romanū Imperium, tunc nimirum, quando in capite delictorum fuit auaritia. Ea scilicet erant vota, eæ preces egenorum; quod Saluianus testatur. *Iam verò illud, inquit, cuiusmodi, aut quam graue; genere quidem dispar, sed iniquitate non dispar: nisi fortè in hoc dispar, quia maius: proscriptiones dico Orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces; qui ingemiscientes quotidie ad Deum, finem malorum imprecantes; & quod grauissimum est, interdum vi nimia amaritudinis, etiam aduentum ho-*

Saluian.  
l. 7. p. 72.



stium postulantes, aliquando à Deo impetraverunt, ut euerfionem tandem à barbaris in commune tolerarent, quam soli antè à Romanis tolerauerant. Legantur veterum annales, inspiciantur historiae: caelum, terra, omnia elementa reperientur pro Deo pugnasse, atque diuitias impiorum pessum dedisse. Cedrenus refert, initio Imperij Michaëlis Paphlagonis, grandinem impetu intolerabili delatam, non frugiferas modò sterilesque arbores confregisse, sed domos quoque deiecisse, & templa ac segetes vitesque solo allisisse. Vnde summa sterilitas est secuta. Sub Iuliano Imp. apostata, Alexandria maris aestu sic inundata est, ut eo in locum suum regresso, in tectorum tegulis scaphæ marinae sint repertæ. Diem eum, quo recessit, inter anniuersarios sacrum deinceps celebrarunt Alexandrini, & Deo pro liberatione gratias egerunt, qui cum homine malo malam quoque abduxit tempestatem, quam is ipse adduxerat. Quod plerumque fit. Nam, ut Sigonius scribit, Anno salutis 589. Italia ab Authari Longobardorum rege miserè afflicta, quasi affligentis delicto contaminata balneo indigeret, continuis imbribus, Octobri mense caelo effusis, tanta aquarum illuues

Niceph.  
l. 10. c. 35.

Carol. Sigon.  
lib. 1.  
de regn.  
Ital.



illuies Italiam totam inuasit, quantam post antiquum diluuium nulla hominum, aut litterarum memoria prodidit. Nam exundantibus amnibus non campi solùm passim in stagna conuersi, & viæ itineraq; confusa sunt, sed tecta etiam subruta, atque homines passim, pecudesque nullo discrimine perierunt. Veronæ Athesis amnis ita creuit, vt aqua ad ædem D. Zenonis peruenerit. Quod verò pro insigni miraculo S. Gregorius scripsit, Authari ipso rege spectante, aqua apertis templi januis irruens, templum tamen ipsum non iniit: & paulatim crescens vsque ad fenestras, quæ proximæ tecto erant, euasit. Qui verò in templo remanserunt, cum elabi inde non possent, aquam tamen ad januam templi venientes hauriebant, neq; ab eius impetu aliquid noxæ accipiebant. Ea ædes fuit, quæ hodie in ripa Athesis sita Oratorium S. Zenonis vocatur. Templo ipso incolumi, tamen muri vrbs vi aquæ multis in partibus subruti prociderunt. Quin etiam Romæ Tyberis exitu Octobris adeò intumuit, vt super mœnia scandens altiores quoque vrbs regiones late omnes obsederit. Itaque non solùm innumerabiles domos subuertit, sed horreis



etiam Ecclesiæ deturbatis frumenti numerum ingentem corrumpit. Quodque homines nouo stupore defixit, magna serpentum turba cum ingenti dracone, secundo flumine, in mare delapsa, quæ post falsis fluctibus hausta, & ad littus eiecta intuentibus omnibus memorabile spectaculum edidit. Quot tunc terræ fructus, quot iumenta & alia animalia, quot vestes, quot domos, quot thesauros putemus perijsse? quemadmodum & in alijs similibus pluribus cladibus, de quibus in libro de Mundo & Mundi partibus egi. An frustra Deus tales plagas immisit? Digni erant homines, priuari opibus, quarum abusu dignis Deum honoribus priuauerunt.

## §. VII.

*Militia auaritia cur? & quo modo à Deo plectatur?*

Neque rex tantum in caussa fuit, quo diuinus iudex fortè tamquam flagello usus est, sed sæpe populus ipse oppressus, à Superioris eiusmodi pœnas extorsit, sæpe etiam meruit; neque rarò, vt communi clade plecterentur, omnes à summo ad imum peccauerunt. A summis incipiamus. Tales enim Iudæorum principes describit Isaias

his